

re & refrigerare ualerē: attuleram inquam exem-
 plar fidelissimum noui Testamenti, quam ad rem
 meo succurrens desiderio pridem etiam eiusdem
 linguae manifestāde studio incitatus Daniel Bom-
 bergus, curatore suarum rerum Iohanne Renial-
 mo impensas suppeditauerat: à cuius conquiren-
 di peregrinatione quū uix rediissem, se statim mi-
 hi Venetijs obtulit Cassis ille sacerdos ue T. M.
 notus, Moses Mesopotamius Syrus, uetustis exē-
 plaribus instructus, cuius opera sum usus ad mei
 collationem, eo quòd meum erat recentius scri-
 ptum: ubi tamen nil planè nec à Græcis exempla-
 ribus, nec ab ipsis Syris inter se, est inuentum dif-
 ferentiæ. Quum autē, postquam triennio aut su-
 prà, ut dicebat, Romæ fuisset in curanda editio-
 ne typographica noui Testamenti, nec potuisset
 ab illis, qui colantes ibi culicem, glutirent mille
 camelos unà, impetrare, ut tam pium & necessari-
 um opus ederetur, quo totus posset Oriens re-
 parari, aut saltem in fide retineri: & tandem rebus
 desperatis, ré que infecta uellet in Syriam redi-
 re: ego unà cum Renialmo illo Bombergi cura-
 tore fui illi author, ut non sic discederet re infe-
 cta, sed quum accepissem dudum fuisse in magna
 autoritate penes Ducem Bauariæ Ioh. Albertū
 Vuidmanstadium, cum quo antea Romæ ualde
 magnam amicitiam, ob insignem omnium litera-
 rum, maximè autem ob secretioris inter Hebræ-
 os doctrinæ mysteria, quibus præditus erat, con-
 traxeram: uenit mihi in mentem, ut ad illum (nec
 enim sciebam eius fortunas bello Germanico in